NUPTIIS SOLEMNIBUS,

*Quas*

*Vir ingenio & eruditione eximius*,

# DN. PETRUS Schultze/

## LL. Studiosus, &c.

SPONSUS,

*Viri Prudentißimi & Integerrimi*,

## DN. PETRI Schultzens/

VVricensium Cos. dignissimi,

FILIUS,

*Cum*

*Fœmina castitatis modestiaq; laude insigni*,

CATHARINA Ludewichs/

DN. MARTINI Behlings/ in Newstadt/ Eberszwalde olim Consulis,

relicta vidua, &c.

SPONSA,

*WRIEZIÆ d. 16. Junii*

*Anno 1623.*

auspicatò celebravit,

gratulabundi adclamant

AMICI.

*FRANCOFURTI CIS VIADRUM*

LITTERIS

HARTMANNIANIS.

POst quam vix aliquis Maritus ivit,
Quò vivus nequiit, nec expetivit,
Si præsertim habuit bonam Maritam:
Lites cum Viduâ statim excitantur,
Exactâ exiguâ morâ dierum,
Hoc ut reddat, & illud ut reponat,
Si sic conditio ferat misellæ.

Quàm mox compositæ videntur istæ,
Lites exoriuntur hinc novellæ;
Non jam cum viduâ, prius solutâ,
Sed propter Viduam, statum priorem
Quam secum renovare & ille, & hic vult.

Res est seria, plena res periclis,
Unus quùm modò particeps amoris
Rectè fiat, & auferat corollam,
Ast omnes reliqui, rubore capti,
Cedant, &, quod habent, habere nolint;
Orbis quùm sciat, esse CORBEM, an addam?

Cumprimis animos ferit dolentum,
PRÆTOREM quod adire denegetur
Ipsis, quem doceant suum dolorem,
Et poscant vehementer ultionem.

Ah! quem non pigeat venire ad ædeis,

Ah

*Ah! quem non pudeat venire ad ædeis*
PRÆTORIS, *sua damna ad indicandum?*
PRÆTOR *sæpius ipsemet dolorem*
*Hunc æstu proprio creat, vel æstu.*
*Exemplum volumusne contueri?*
*Quærantur duo, tresve, quattuorve,*
*Quos vicina dat Urbs, proci relicti,*
*Quem caussam statuant sui doloris,*
*Tam lautum putà jam bolum ex eorum*
*Raptum faucibus, esurire jussis,*
*Uno omnes simul ore clamitabunt,*
PRÆTOREM *in nimiâ fuisse culpâ;*
*Immò, quod magis urit, unum in omni:*
*Ac, si detulerint suas querelas,*
QUESTOS *se miseros* APUD NOVERCAM.
*Sic est, ut sapienter augurantur:*
*Heic* PRÆTOR *caret auribus vacivis,*
*Et rectè sibi proximus fit ipsi.*
*Norunt de proprio foco parando*
*Quemvis, & meritò, fovere curas:*
*Cur* PRAETORIBUS *ergò denegetur,*
*Cunctis quod licet, appetuntq́; cuncti.*
*Ipsi consimilem in modum sequantur*

*Præ-*

PRAETOREM; & proprios focos eodem
Exemplo sibi comparent, & omnis
De Virgis paret excitare flammas,
Queis desiderium omne concoquatur,
Nec vis alterius petatur ignis,
Ut crebro fieri experimur usû:
Haud verbo prohibebit, haud vel uno.
His ergò, atq; aliis sibi relictis,
GRATEMUR tibi, PETRE, qui vocaris
Tantùm nomine PRAETOR ex paterno,
Nec te litibus implicas procorum.
Quæ vivet tua, parte tu potitus,
I contentus, & hanc amore abundans,
Gusta, amplectere, gesta, & osculare,
Nec discrimina temporum fac, æquè
Nox, & lux operas tuas juvabunt.
Et te præcipuè ista cura tangat,
Plures deveniant ut inde partes,
Quas dent compositas, tegantq; cunæ.
Has ultrà mihi progredi nefas est,
Ultrà ceu crepidas latens Apelles
Sutori sapere statim vetabat.
Quisquis Conjugis est adhuc vacivus,

Ut

*Ut partem accipiat suam quoq; ipsus,*
*Qva par est, vigilantiâ videbit,*
*Nil curans, procus hic; & ille contrà*
*Quid dicat, tacitusve murmurillet.*
*Cui felix favet hora, dat Maritam,*
*Quamvis tristia milium procorum*
*Infeliciter ora murmurillent,*
*Et* SANCTUM *unà habeant* PETRUM *Patronum.*
*Sed talis venit hora tarda multis;*
*Quorum me fateor severe membrum.*
*Quid prodest tamen interim?* Precari.
*Nec juxta fieri nocet?* Procari.
Quivis ante precetur, hinc procetur.
*Qui vult audiat, audeatq; sumptum*
*Heic ponens calamum ipse, conquiescam.*

Matth. Reimmann.

Idem

## In Proverbium Germanicum.

**Wer die Vogel findt / der weiß sie /**
**Wer sie außnimpt / der hat sie.**

INVENIENS volucres, scit, earum nidus ubi sit;
Tollere cui licuit, rectiùs alter habet.

Quos

QUos ad ſe Martis tirones buccina rauca
Convocat, his præſto eſt duxque comeſque viæ.
Munia militiæ qui primæ tradat: ut arma
Aptanda; ut variis haſta vibranda modis.
Te caſtra Aonidûm Muſarum, PETRE, ſecutum,
Pôſt capient Cypriæ caſtra novella Deæ.
Quis dux? quis lateri prudens hærebit Achates?
Hoc fungi officio vel LUDOVICA poteſt.
Et virtus ſolida & facies ſuffuſa pudore
Hanc dignam titulo judicat eſſe ducis.
Hæc thalamo quondam *Martini* adſueta *Belingi*,
Te poterit liciti jura docere tori.
Nec Tu ſub tali rubeas, neonymphe, magiſtra
Heic tirocinium depoſuiſſe tuum.
Sed pergas audax: audentem gratia ſumma
Adjuvat, hanc voveo pectore & ore Tibi.

*Martinus Milagius*
*LL. Studioſus.*

## *Belli vituperium, & Pacis encomium.*

UBI

# ΓΡΙΦΟΣ

Qui voculæ hujus, per omnes caſus, inflexionem, nuptiale votum, Dn. Sponſi nomen, & ipſarum nuptiarum annum, partim initialibus literis, partim ſyllabis, in poſtremis ſex verſibus poſitis, exhibebit; ita tamen ut omnes caſus, omneſque in iis literæ (exceptis P P. in Nom. & Gen.) removeantur, & neque voto, neque nomini, neque anno ipſi annumerentur.

SI qua fides, cui *Romanæ* facundia linguæ,
*Pallas* (*Bellonæ* cognominis omine gaudens)
Sanguinea inventrix belli fuit atque duelli.
Sin autem annales *Diodoro* ritê notanti,

*Mars*

*Mars* certè infausti belli efferus extitit author.
Verùm sit qui sit, sit *Mars*, sive ille vel iste
Illius, ut mortis, furiosâ mente repertor;
Attamen is minimè minimè est dignissimus unquam
Laude, nec inventum nomen laudabile callet.
Hoc etenim *Regem* tutissima regna tenentem
Orbat sede, manu, talo, munimine, luce:
Hoc populum latè Regem, nil cladis amantem
Disjungit, varios disjunctum spargit in agros:
Hoc citò (res loquitur) dissolvit fœdera facta:
Optima quæque soli rurisque in pessima vertit.
Quid multus? non ulla salus, non ulla voluptas
Est bello, ah *Pacem Pacem* te poscimus omnes!
P*ax* Est Terrigenis Requies Verissima Semper.
P*acis* Rectores Adamantur, E T Optima Rumant.
P*aci* Consuluêre Viri Multi SVAdelâ.
P*acem* SPONtalem, SApiens Deus; Illicò Vulga!
O P*ax* IN TE Reverâ RAbies SITa nulla.
P*ace* nihil (summa hæc) terrarum optatius orbi.

à

*Christophoro Franco Scholæ VVricensis ad Oderam Baccal. connexus.*

